

admodum fulget; quoniam horum etiam alii incurvatis caudis, in modum acinacis sese spectandos præbent: non tamen omni tempore eadem constanti facie. Quandoquidem alii quoad caput, comamque minores, pugioni similes seu ensi igneo lucent; alii denique sunt pallidissimi, ac gladii nitorem, sine ullis radiis discriminatis ostentant; quorum sanè quamplurimi passim in historiis occurrunt.

§. XXIX. 10. *Longitis* seu hastiformis, *Lancea* sive *Hasta* figuram habens, capite elliptico, caudâ verò acuminatâ, prolixâ ac pertenui præditus est, haud etiam est infreqvens.

§. XXIX. 11. *Veru* seu *Pertica* ferme ad speciem hastiformis accedit, nisi quod capite paulò sit rotundior; cauda verò adhuc longior acutiorque: qui tamen longè etiam sunt dispares.

§. XXX. 12. *Quadratus* caput angulare, imò plerumque quadrangulare, caudam insuper perlongam, densissimam ac uniformem præsentat; aliàs trahi igneo haud est absimilis: qualem anno ante natum Christum 372, vel 373, apparuisse perhibent.

§. XXXI. Atque hi omnium sunt præcipui, qui unquam à Scriptoribus annotati fuerunt; licet *Caudatorum*, qui plerumque frequentiores sunt, *multæ* insuper *species* dentur. *Modo enim* *Barbam* *promissam*, *modò compressiorem*, *modò ad verticem obtusiolem*, *modò in fine strictiorem*; *modò in educatione tenuiorem*, *modò ubi desinit, magis dispersam*, *ad instar illius anno 1618. apparentis, referunt*; *modò ad caput in principio caudam amplissimam, densissimamque, modò in fine acutissimam dilutissimamque, ostendunt. Ad hæc, modò Comam rectiorem, modò obliquiorem, nunc sursum, nunc deorsum vergentem exporrigunt*; alii *firmam continuum*, alii *divisum discretumque*, alii *permanens*, alii *mutabile obtinent*: Sic ut *diversissime Cometarum sint imagines*: singuli fere *singularem faciem plerumque offerunt, ut vix adeò brevibus describi possint.*

CAPUT III.

De

TEMPORE COMETARUM.

§. I.

Stellæ erraticæ dividuntur vulgo in *ordinarias* & *extraordinarias*. *Ordinarie* vocantur, quæ infra octavam sphaeram ab initio mundi

B 2

mobi-